



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

Cap. VIII. Qua ratione Deus per Confessarios adiuuet ad magnas Confessionis difficultates superandas: quales ipsi Confessarij esse debeant, & quam eisdem pœnitentes ipsi subiectionem debeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

lem detrahis, cum tuæ conscientia: occulta aperis; eius omnes partes *conci-*
dis, quando tua peccata singulatim ac distinctè declaras; eas verò *lauas*,
 quando confessioni lacrymas, & cordis gemitus adiungis; super *altare* col-
 locas, quando magna fiducia ea omnia in Christi Seruatoris nostri miseri-
 cordiam proijcis. Sacerdos struem *lignorum* componit, quando rebus tuis
 ordinem adhibet, suisq; exhortationibus ac reprehensionibus te ad gratiã,
 quam speras, recipendam disponit: *ignem* subijcit, quando te absoluit: nam
 absolutione sua ignem tibi communicat Spiritus S. qui vrit & cõsumit ini-
 quitates tuas; afflat verò *odor* Deo suauissimus, quando cõtriti tui & humili-
 titati cordis sacrificium in confessione acceptat; & cùm post eam laudas illũ
 & glorificas, milleq; agis gratias ob collatum tibi beneficium. O Deus infi-
 nite, cui adeò benè olet hoc sacrificium in virtute eius, quod vnigena filius
 tuus pro nostra tibi obtulit reparatione: concede mihi, vt eo spiritu illud
 tibi offeram, vt tua placetur ira; meque repleas tua misericordia, Amen.

CAPVT VIII.

QVA RATIONE DEVS PER CONFESSARIOS
adiuuat, ad magnas Confessionis difficultates superandas:
quales ipsi Confessarij esse debeant; & quam eis-
dem poenitentes ipsi subiectionem
debeant.



QUONIAM POENITENTIA plena est difficultatib⁹, quę partim
 proueniunt à *Damone*; partim ab ipsa nostra *natura* ad malum
 propensa, vel praua consuetudine corrupta; partim denique ab
 ipsomet *opere*, q^o arduũ ex se est, ac difficile: voluit Christus D.
 N. prouidentia: suę suauitatē & efficacitatē ostendere, prospici-
 endo de auxilijs ad has omnes difficultates superandas. idq; interdũ præstat
 per se ipsum solũ, interdũ verò per ipsos Confessarios, quos tanquam in-
 strumenta adhibet, nõ solũ ad remittenda peccata, cùm absoluunt; sed et-
 iam vt poenitentibus auxilio sint, ad omne genus tentationũ, & difficulta-
 tum quas sentiũt, superãdas. nam aliquas sentiunt, quę illos retrahũt, ne ad
 confessionē accedant; alias, quę ineptos illos faciunt, ne in ipsa confessione
 se gerant, vt oportet: & ita inutilis illis reddatur confessio. Primæ illæ diffi-
 cultates à Sathana sunt adiuuentæ, ob graue eius odium in ipsam confessio-
 nem: in qua experitur, suas machinationes dissolui. Cùm itaque aduertit, a-
 liquem ipsius tyrannidem fugientem agere de faciendâ confessione: excitat
 in eum internorum hostium manum, qui ipsum deterreant, & auertant:
 qualis est *pudor* aperiendi sua peccata, vt diximus: *timor* reprehensionum,

Confessio
ardua.

aut correptionum, & pœnitentiariu; affectus inordinatus ad ea, quæ propriarum culparum occasionem præbent; *repugnantia* in iisdem deserendis & mutandis moribus. Ex his inquam alijsque timoribus agmen congregat instar illius Pharaonis, eiusque militum, per quos statuit persequi eos, quos diuina vocatio intendit ex tenebrosa peccati Aegypto liberare: iamq; prope sunt, vt rubrum pœnitentiæ mare ingrediantur. Quid verò magnus DEVS noster ad eos protegendos, & ijs difficultatibus expediendos facit aliud, quàm quod a *Angelus* ille faciebat, *quid deducebat Israelitas?* qui cum sua *columna nubis*, tanquam murum se inter castra Aegyptiorum & castra Israel collocauit; ita vt Aegyptij *oto nobis tempore*, ad eos accedere non valerent, donec *Moyſes* virga sua mare diuideret, & *ingressi essent filii Israel per mediũ sicci maris*. & tunc Angelus se subtraxit, vt *Aegyptii, ingrederentur, ibique omnes summergerentur*. Quid enim aliud hoc est, quàm pulcherrima quædam effigies eius curæ, quam magni consilij Angelus Christus Seruator noster gerit circa eorum protectionē, quos vocat, & vt peccatum deserant, inspirat: quos supernæ suæ protectionis nube tanquam muro quodam circumdat, prohibetque furiam & impetum hostium, conantium bona eorum desideria impedire; ac remouet obstacula omnia, quæ eum egressum prohibent.

a Exod. 14. 14.

Anxietas
pœnitentiæ.

Exod. 14. 16.

QVOTIES enim euenit, vt, quem DEVS vocat, peccator in angustijs & anxietate magna, qualis fuit populi Hebraei, constitutum se videat, hinc à Pharaone eiusque militibus, inde verò ab horrendo mari eiusque fluctibus obfessum: si tentationibus consentiat, quæ à pœnitentia illũ retrahunt, videt suam perniciem: redit enim ad Aegyptiacam seruitutem: Quod si eas fugiat, & pœnitentiæ mare ingrediat: vehementer timet, & ab eius amaritudine, fluctuumque terribilitate terretur & cogitatione apprehendit, se in eis submergendũ. Sed in ijs angustijs cõstituto adest diuina misericordia, nube suæ protectionis, & virga suæ omnipotentie, quam tradit ducibus à se cõstitutis *Moyſi & Aaron*, qui Sacerdotes significant. quibus iurisdictionē, & iudiciariam virgam in hoc pœnitentiæ Sacramento tradidit, cum magna potentia ad mare diuidendum, transitumq; facilem reddendũ pœnitentibus, desiderantibus saluare animas suas: vt ita securè per hoc mare (vt supra est dictum) pertranscant: vt ipsi victores, hostes verò, qui ipsos persequantur, victi permaneant. Et quemadmodum *Moyſes* primũ populi illius animos verbo erigebat, postmodũ verò mare virga aperuit: ita prudens cõfessarius afflictum peccatorem erigit, ne in ea anxietate animo deiiciatur, dicens illi: ne hostium furorem pertimescas: Deus est illis potentior, ille te vocauit, & ex Aegypto eduxit: ille defendet te ab ijs, qui contendunt ad suã te seruitutē retrahere: nunc eos vides viuentes, & erectos: post paululũ submersos videbis, & extinctos. Ne horreas maris amaritudinem: est. n. mare

rubrum

rubrum, Christi sanguine tinctum pro tuis peccatis; & vt te ab eis munda-
ret, effuso. Cum igitur cœlestis hic tuus medicus horrendam aded amari-
tudinē, vt tuis infirmitatibus mederetur, gustauit: quid multum erit, si & tu
particulam aliquam delibes, vt sanitati restituaris? non hoc mare ingre-
dis, vt in eo moriaris; sed vt viuas: nam peccato mori, est Deo viuere. nec
semper tibi in mari est permanendum: sed per illud ad terram promissionis
transeundum. Breui tempore labor hic finietur; eiusque fructu citò dele-
ctaberis. His & similibus alijs rationibus, quas Deus suggerit confessario,
dāns vim & virtutem eius verbis, animum ille poenitentis erigit; manum-
que operi admouens ad aggrediendum impellit: vt timorem deponat. Et
tantus nonnunquam est lacrymarum, & singultuum feruor, quem Domi-
nus noster poenitenti tunc communicat, vt Sacramenti efficacitatem illi
manifestet: vt omnes repugnantia ac timores, quibus antea conuictabatur,
quasi submersi esse videantur. & ipsi met hostes clamare videntur, sicut tūc
Aegyptij: *b fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* & ita re-
uera est, pugna enim, quæ in Sacramento agitur, verè est pugna Dei: siquidē
ipsum causa suscipitur. & ipse ad pugnandum exit pro nobis, datque forti-
tudinem necessariam, vt gloriolam reportemus victoriam, & euanescant
tentationes, quæ nos ab huius Sacramenti vsu prohibebant. & vt magis nūc
eius frequentatione delectemur, quam ante illud fugere studebamus.

§. 1. *Quaratione cor emolliatur & extricetur.*

ALIA tentationes ac difficultates non minus importunæ affligere
solent poenitentes, etiam qui libenter ad confessionem accedunt; *du-
ritia* scilicet cordis, quam secum afferunt: vt potè sine dolore & sensu pecca-
torum suorum: aut quia nō satis proprium, viuumque sibi formant concep-
tum aut estimationem peccati lethalis; nec satis assequuntur supplicia, que
illud promeretur; nec bona, quæ destruit; nec iniuriā, quam infert Deo: aut
quia cor hominis vehemēti aliqua passione vincitū tenetur; aut inordinata
alicui sensuali affectioni, cupiditati, aut vindictæ sese tradidit. & quamuis
hinc deserere eam vellent; vt cum fructu confiterentur: inde tamen non se
satis expediunt, aut statuunt id efficaciter velle. Sed in his etiam difficul-
tibus solet Dominus noster Sacramenti virtutē ostendere; & corda etiam
saxa duriora emollire, ac reddere teneriora. iaciendo illis inspirationes
aliquas, cum sua peccata manifestant; aut verbis ipsorum Confessariorum,
quæ diuinæ omnipotentia sunt instrumenta, ad huiusmodi mutationes fa-
ciendas. quemadmodum Moyses eadem a *virga*, qua *mare rubrum dimisit*,
percussit, mandante Deo, *petram durissimam, & b egressæ sunt ex ea aqua*
largissima: per quam aquam (ait S. Gregorius Nyssenus) significari poeniten-
tiam, ex qua viua gratia aqua fluit, in virtute c *petra viua Christi Domini*,

b Exod. 14
15.

i.
Duritia
cordis.

a Exod. 17. 5
b Num.

20. 11.
Lib. de vita
Moyses, seu
le vita per-
fecta c. 1.
or. 10. 4.

d Ioan. 7. 38.
e Cap. 4. 14

e Num. 20. 8
Sacerdotes
orient.

f Num. 20.
6. 11.

Timor.

g Eccl. 3. 27.

Amor.

Crux Christi.
Serm in se-
ria. 5. maio-
ris hebdom-
h Matt. 27.
52.

2.
i Isa. 59. 1.
Perseueran-
tia.

k Marc. 14.
72.

l Luc. 22. 5
Tract. 1. c. 12

m Job. 28. 6
1. 3. 4.
1. 6. 3. & 4

qui nostri remedij causa percussus est in cruce. Est enim adeo potens eius virtus, vt ex cordibus petra durioribus d *profluere* faciat, *aquas viuas*, & *fontemq;* illius aqua, quae *salutem in vitam eternam*. dicit enim confessarijs, quod olim Moyse, & Aaron dixit: *e loquimini ad petram* & illa dabit aquam. Ad duas petras loqui debent Confessarij, vt voti compotes fiant. *Primum* ad petram viuam Christum D. N. humiliter supplicantes, vt cor illud durum emolliat, gratiaque sua aquam ei largiri dignetur: quem admodum Moyse & Aaron primum preces ad Deum fuderunt, dicentes: *f Domine Deus aperi populo huic thesaurum, fontem aquae viuae*. Collocata vero fiducia sua in Saluatoris ipsius misericordia, debent mox ad duram peccatoris petram loqui: *his* eam *virga percutientes*: proponentes scil. duplex genus rationum, timoris, & amoris. TIMORIS erunt reuocando illis in memoriam mortem, iudicium, infernum, & reliqua temporalia & aeterna supplicia, quae Deus rebellibus, durisque cordibus minatur; & periculum, in quo versantur in ea incidendi: propterea enim Ecclesiasticus dixit: *g cor durum male habebit in nouissimo: & qui amat periculum, in eo peribit*, absque vilo remedio. AMORIS rationes erunt: proponendo illis aeterna praemia, beneficia diuina, spiritualia & temporalia bona, quae Deus suis amicis communicat; & super omnia percutient corda virga *Crucis Christi*: proponentes eis: quanta passus ipse fuerit pro nostris peccatis: passionis enim Christi memoria vsque hodie (vt S. Bernardus ait) *h terra mouet, petras scindit, aperit monumenta*: quia facit tremere & emollescere terrena, & dura corda: *tremant* scilicet iudicia Dei, *scindantur* contritione; confessione vero *aperiantur*: vt ad nouam resurgant vitam.

CUM igitur *i non sit abbreviata manus Domini* nec passionis Christi D. virtus hebetata: non est cur abiiciatur fiducia, quod hos effectus per confessarium sit in hoc Sacramento effectura. Quemadmodum tamen Moyse, etiam primo ictu non eduxit aquam ex petra, non propterea animum & confidentiam abiiecit, sed secundum adhibuit ictum: & tunc erupit aqua valde copiose: ita etiam non abiiciet animum Confessarius, si prima ratio, quam attulerit, cor penitentis non emolliuerit: sed addenda est secunda, & tertia: quia cum ipse minus cogitauerit, aderit DEVS, qui interno ictu erumpere faciat fontem lacrymarum. Nam neque Petrus ad primum galli cantum conuersus est; sed ad secundum *k recordatus verbi quod dixerat ei Iesus*: a quo tunc interius tactus, *l senuit amare*. Quid igitur aliud sunt verba, & monita Confessarij, nisi (quod supra insinuauimus) galli cantus, qui sopore oppressum peccatorem excitat; & cor eius durum emollit, non propria virtute, sed illius Domini, qui dixit: *m quis dedit gallo intelligentiam?* DEVS est ait S. Gregorius) qui Concionatori & Confessario inspirat verba dicenda, & modum siue actionem indicendo: vt utilitatem penitentibus afferant.

rant.

rant. Neque enim eadem rationes & verba sunt omnibus dicenda, nec eadem ratione & modo: sed iuxta poenitentis dispositionem, & necessitatem. Et quemadmodum gallus media ipsa nocte fortiorem & longiorem edit vocem; mane breuiorem & molliorem: ita peccatoribus, maioribus miserijs immeritis rationes sunt proponenda, quæ timorem & terrorem incutiant: vt ita excitentur; alijs verò maiorem rerum Dei lucem habentibus, satis erit insinuare molliores aliquas suauioreque rationes. Vniuersim tamen eum ordinem merito seruabunt, dum cor duru pulsant: vt etiam si primi pulsus, & ictus sint ex rationibus, quæ timorem incutiant: addantur tamen etiam alia, quæ excitent amorem: aqua enim contritionis non facile erumpit ad primos illos ictus, nisi accedant secundi: & vtrique conferunt ad infirmorum vulnera curanda: applicando scilicet, exemplo pij n *Samaritani*, *vinum*, quod mordet; & *oleum*, quod lenit.

ALIAS difficultates habet ipsa Confessio: quia interdum, quamuis cor fit iam tenerum: est tamen ita intricatum, vt non sciat se expedire, & aperire quæ habet: siue id proueniat ex ignorantia rerum aliquarum, quas nõ intelligit; aut quia illa sunt multæ, & ex seipsis obuolutæ, & intricatæ: aut denique, quia passio & affectus facile in rebus proprijs iudiciu rationis obfuscat. ideoq; cælesti auxilio & fauore ad eas extricandas, & explicandas est opus. Propterea enim ipse Dominus dixit: *o prauum esse cor omnium, & inscrutabile: quis agnoscat illud: ego Dominus scrutans cor, & probans renes*: hoc est examinans occultissima quæque. Id quod solet Deus in hoc Sacramento per ipsos Confessarios efficere: quibus cæleste lumen largitur, vt conscientias extricare & explicare possint, ad sanandum. Ad eos enim pertinet aperire etiam *duos illos libros*, ex quibus iudicium hoc peragitur: librum scilicet *legis*: cuius partem, quæ poenitentem concernit, iuxta illius statum & officiu, declarant; simul adiuuantes eum, ad librum suæ *conscientiæ* aperiendum: interrogando, quæ ad rem esse iudicabunt; eiusque dubijs respondendo, & rationibus conuincendo: vt a suis erroribus ille discedat. Nam quemadmodum tempore Iosue p *Sacerdotes cum tubis Iubilei, & populus cum armis suis*, ex mandato Dei, *circumierunt ciuitatem Iericho sex diebus: septimo vero die, cum Sacerdotes clangerent buccinis, & totus Israel vociferaretur, muri ciuitatis illico corruerunt; & statim ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat: & ceperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea: & urbem ipsam, & omnia quæ erant in ea succederunt*. Ita ad expugnandum cor aliquod irretitum, cuius muri sunt peccata, habitatores verò *passiones & cupiditates*: necesse est, conuenire *Sacerdotes & poenitentes*; & septies ac sepius conscientiam illam circumire, inuestigantes, quicquid in ea latet *septem peccatorum capitalium*, & circumstantiarum eorum: ita vt nihil super sit occultum, quando autem post hoc examen illa om-

Discretio.

Vinum &
oleum.
n Luc. 10. 34.

3.

Iere 17. 9.

Confessarij
illuminant
poenitentē.p Iosue 6.
6. &c.Peccata
muri.Passiones
ciuitatis.

*Pœnitentis
clamor.*

*Sacerdotis
buccina.*

*Castrorum
acies orde-
nata.*

*In Spec. di-
cip. p. 2. c. 3.*

*Conscientia
manifesta-
tio.*

*Collat. 2.
cap. 11.*

*S. Petri
consilia.*

*Epist. 1. ad
Iacob. frat.
Domini.
Vide Caniff.
c. de Confess.
S. 5.*

nia innotuerint: debent pœnitentes os aperire, & magno tenlu ea conite-
ri: ipsi verò Confessarij *buccinis* clangent iubilæi, proferentes scilicet sen-
tentiam absolutionis: cuius virtute muri corruunt, & peccata evanescent.
Hoc verò impedimento adedè difficili sublato, liber patet ingressus ad cor-
illud; & iugulandos omnes eius habitatores, qui viui supererant, abscindē-
dos scilicet habitus & consuetudines vitiorum, passiones ipsas, & effrenes
cupiditates, ad succendenda quæcunque earum erant occasiones, & fomē-
ta. Cum gratia enim Sacramenti, quæ peccatorum murum euertit, ingreditur
virtutum moralium & infusarum agmen, sequentium ducem suam *chari-
tatem*: quibus omnibus prælium incundum est contra omnia vitia, & passio-
nes; vnaquaque earum rectà tendente ad vincendum, & mortificandum vi-
tium sibi contrarium.

Ad hoc etiam, auxilium præstant Confessarij, non solum absolutionis
sententiâ, sed *exhortationibus* etiam, monitis, & consilijs, quæ suggerunt
aduersus tentationes; alijsq; medijs, quæ ad passiones vincendas adhibent,
& applicant: Nam hæc verba buccinæ sunt, quæ hostes terrent: milites ve-
rò, contra illos tendentes, animant. Ac propterea (vt S. Bonauentura mo-
net) in confessione, dum aperiuntur culpæ; licet etiam referre Confessario
internas & externas tentationes nobis importunas: valdè enim horrent
dæmones, ac tremunt, si eas Confessario pœnitens aperiat, & DEVS D. N.
Confessarium adiuuat, ac dirigit: vt apta & ad rem accommodata reme-
dia, ad eas vincendas, adhibeat. Et quemadmodum humilis peccatorum
Confessio pœnitentem disponit, vt DEVS illa remittat: ita humilis tenta-
tionum manifestatio multum confert ad hoc, vt DEVS illas remoueat, aut
copiosiore det gratiam ad eas vincendas; humilitatem & fidelitatem eas
manifestantis earundem victoria remunerando: quemadmodum Sanctus
quidam senex Serapion affirmavit, qui, (vt refert Cassianus) cum esset iu-
nior, graui gulæ tentatione pulsabatur: quam dum Abbati suo aperuisset,
respondit Abbas: confide fili: absoluit te ab hac captiuitate, etiam me ta-
cente, Confessio tua. Id quod prodigioso quodam signo DEVS ipse com-
probauit: cum enim Abbas loqueretur, eccelampas accensa de sinu Sera-
pionis procedens, ita locum repleuit odore sulphureo, vt vehementia for-
toris ipsius vix in eo residere eos permitteret: quæ lampas testimonio fuit
ardentis prius in eius corde passionis: quæ ita fuit extincta, atque in perpetuum
conspira: vt non solum postea non senserit, se ea passione pulsari:
sed neque amplius venerit in memoriam. Hanc admonitionem aliasq; ad-
mirandas dabat S. Apostolus Petrus fidelibus (quemadmodum S. Clemens
eius discipulus refert) his verbis: Instruebat B. Petrus, actus suæ vitæ omni
hora custo dire, & omni loco Deum respicere: cogitationes malas cordi suo

adue-

aduenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare. In his tribus consilijs summa consistit totius perfectionis vitæ spiritualis. ideoque merito ea hic coniunxi.

§. 2. *Qualis esse debeat Confessarius.*

EX dictis facile conijci potest, quanti referat bonum eligere Confessarium, *scientia, & conscientia*, vt dicitur, sapientem & sanctum. Nam licet in alijs Sacramentis non multum noceat suscipienti, quod eorum minister ignarus sit, aut improbus; modò veram formã & materiam nouerit, in quibus eorũ essentia cõsistit: In Sacramento tamen pœnitentiæ, quod fit in forma iudicij, plurimum refert, iudicem esse sapientem & rectum: *sapientem*, vt causas nouerit iudicandas, & peccatorum grauitatem cum omnibus circumstantijs *rectũ*, ne humanis respectibus, aut temporalibus lucris flectatur: & ne passione aliqua aut inordinato affectu excæcatus, licere iudicet, quod non licet; aut contra: aut absolutionem tribuat indigno, ex quo facile proueniet vtriusque damnatio: nam *a si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent.* Nam Confessarius peribit ob malè præstitum officium; & pœnitens remanet in suo peccato, ob defectum dispositionis ad Absolutionem recipiendam. Et qui existimat se absolutum, in maiori versatur periculo: quia non aget de nouo remedio quærendo.

PLVRIMVM præterea refert, eum esse sapientem, sanctum, strenuum & expertum. non enim eius officium finitur absolutione peccatorum: sed debet etiam esse Magister & Dux animarũ; & Medicus infirmitatum internarũ, quæ ex peccatis oriuntur: debet nosse remedia cõuenientia applicare: cautus esse in reprehendendo, in pœnitentijs iniungendis, in bonorum operum exercitijs consulendis; & rebus alijs, de quibus mox dicemus. Ad quæ omnia multũ iuuant, scientia, virtus, & experientia. Et quamuis DEVS prouidentia suã, Cõfessarij & Magistri spiritualis defectus suppleat, quando prudenter, & bona intentione eligitur: quia sufficiens & aptus existimatur: si tamen negligenter, nullaque ratione habita, an sit aptus nec ne? aut certè studio is eligatur: qui blandiri nouerit, & auribus seruire; seque tuo palato accommodare. non erit mirum, si DEVS permittat, eum decipi, teq; decipere: quæ admodum per Ezechielem Prophetam minatus est: *b Homo de domo Israel, qui posuerit immundicias suas in corde suo, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me, cupiens per eum voluntatem meam cognoscere: ego Dominus respondebo ei in multitudine immundiciarum suarum, permittens Prophetam errare, & illum decipere. & iuxta iniquitatem interrogantis sic iniquitas Prophetæ erit: c & si populus parietem ex crudis lateribus adificat, Prophetæ vero limit eũ luto absque paleis, ego imbrẽ inundantem & prægrandes lapides dabo desuper irruentes, vt cadat: & complebo indignationem meam in pariete, & in eo quo limit eum*

absque

Confessari-
us sapiens
sit & rectus.

a Mat. 15. 14
Luc. 6. 39.

Confessarij
delectus.

b Ezech. 14
4. 9.

c Ezech. 13
o.
S. Greg. 18.
Moral. c. 14.

absque temperamento. Quamobrem, si parietem ex crudis lateribus extruxisti, dans locum peccatis ob lucra terrena: ne quærito Confessarium, qui lutum obducatur, occultetur, aut approbet; nec Prophetam, qui voluntatem diuinam flectere nitatur, & incuruare: vt voluntati tuæ illam accommodet. Nam permittet DEVS te inuenire talem Prophetam, qualem quæris: sed id fiet cum manifesto tuo detrimento. quia mittet DEVS super te imbres graues, & lapides prægrandes tentationum & calamitatum, quibus omnia tua consilia dissiperet; & bona, quæ sperabas destruat: & finis fortè erit tua damnatio. Quære itaque Confessarium, & Prophetam facultatibus illis ornatù, quas supra retulimus, qui possit ac nouerit cum dexteritate vt clauibus, quas à Deo habet; fortiq; sit animo ac imperterritus ad percutiendum cor tuum semel & iterum virga sua. vt quemadmodum Moyses aquam viam ex duro lapide eliciat; magnaq; constantia ac vigilantia sapius circumueat, muros tuæ conscientia; tantaq; fortitudine buccina clangat, vt eos deiciat; & hostes in eo latentes prodire faciat, & animum tibi ad pugnam contra eos addat, proba (inquit Origenes) prius medicum, cui debeas causam languoris & peccata tua exponere; qui sciat infirmari cum infirmante, & flere, cum flente; qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam: sitq; adeò eruditus, & misericors; vt, si quid consilij dederit, facias, & sequaris: vt sanus euadas. Elige (ait Sanctus Basilius) virum virtutis exemplaris, magna scientia, virum integrum, relaxationis hostem, ab omni avaritia alienum, negotijs secularibus non se immiscens, ad animæ tuæ bonum procurandum propensum: quem lucrum non flectat, qui inani gloria non euanescat, qui ambitione nõ trahatur, cui nihil sit præstantius honore Dei: cuius causâ vultum potentis non metuat, nec in vno puncto suo desit officio. Et cum Confessarius debeat simul esse cõsiliarius, elige (ait Sanctus Ambrosius) virum, qui virtute & scientia te eminenter excedat; noueritq; præsentibus periculis occurrere, futura præuenere, de imminentibus admonere, dubia & argumenta tua soluere, & in tempore remedia adhibere: nec solum consilio sed etiam industriâ te iuuare: ac denique talem, de quo possis dicere: si mala mihi euenerint, per illum sustineo: sequor enim benè consulentem: & confido in Deo, me non erraturum, si eius consilium sequar. & si quando, vt potè homo, ex inaduertentia contingat errare: DEVS eius errorem conuertet mihi in salutem. quia Iudex est misericors, qui, cum instituerit Confessionis tribunal, non id fecit, vt nos illaquearet: sed vt solueret: ac propterea ad ipsum spectat reparare errores, in quos fideles eius ministri sana intentione inciderint.

Ex his intelligitur plurimum referre, vt semper sit idè Confessarius: nec ad singulas Confessiones nouus quærat. Nam si cupidi salutis corporis volunt

Tract. 2. c. 9.

*Homil. 2. in
Psal. 37.*

*Serm. de
Abdica se-
culi Colum.
3.*

*Lib. 1. Offic.
cap. 8.*

volunt semper eundem corporis Medicum in suis morbis adhibere: quia ille optimè nouit ipsorum complexionem: quanto magis erit consonum rationi, si de animæ tuæ salute sis sollicitus, semper habere eundem spiritualem Medicum, qui propensiones tuas, & vulnerum radices perspectas habeat: ac proinde rectius aptiusque remedium adhibeat. Et si Confessarius debet simul esse consiliarius, etiam expedit, semper esse eundem, minori enim tuo & suo labore tibi consulere poterit: eò enim respexit Ecclesiasticus, cum dixit *d Et si multi pacifici sint tibi & amici: consiliarius tamen tibi unus sit de mille*: ut scilicet vnum habeas stabilem, cum quo omnia tua conferas, & cuius sequaris ductum, qui & sit electus ex mille. nam semper quod pretiosum, est rarum: ac propterea debes illum non mutare, si tuo desiderio votisque conformem inueneris. fortè enim tam aptum alium non inuenies. Præterea: si confessarius idem sit semper, cum maiori prudentia præscribere tibi poterit: quàm frequenter, tuis rebus ita exigentibus, accedendum tibi sit ad hoc Sacramentum: & tempore monere, si fortè ex ignauia id facere omittas; & reprehendere tarditatem tuam, recidiam & similes alios defectus: & animare, ut in bonis exercitijs progressum facias. aliæque officia præstare Ducis & Magistri spiritus propria, quæ superius indicata fuerunt.

Est tamen & illud meritò obseruandum: (quod etiam in eodem loco insinuauimus) ut cum huiusmodi confessarium fueris nactus, postquam tua peccata ei aperueris: offeras te generosa quadam ac resignata voluntate, ad præstandum quicquid ille iniunxerit, & in bonum animæ tuæ constituerit, etiam si arduum ac, difficile videatur: persuadens tibi, talem Confessarium nihil iniuncturum, nisi prudenter, & quod iustum sit. Quare feruentianimo dices ei, quod Saulus Deo in sua conuersione: *e Domine quid me vis facere?* statue, quod uoueris: paratus enim sum, quicquid constitueris, exequi. Non debes (ait S. Bernardus) esse sicut aliqui, uoluntatis suæ nimis tenaces: qui desiderant audire à Confessario, quod Christus D. N. dixit cuidam cæco: *quid vis ut faciam tibi?* ut scilicet ipse Confessarius accommodet se in ijs, quæ officij sui sunt, uoluntati & palato pœnitentis. Quemadmodum superbus Naaman, profectus ad Prophetam Eliseum, ut curaretur à lepra, existimabat, Prophetam ad ipsum exiturum, ac dicturum: quomodo vis, ut te curem: se uerò responsurum: hoc uolo, ut *g manu tua tangas locum lepræ, & sic uer.* Prophetam autem ex Dei reuelatione cognoscens exiguam Naaman resignationem, nec expedire, ea ratione ipsum sanari: non eam adhibuit, sed præscripsit alteram, iussitque, *lauari septies in Iordane.* Ut ex hoc intelligas: cum ad confessarium accedis, ut à culpis & inordinatis affectionibus cures: non debere te desiderare, ut ille tibi dicat: *quid vis, ut faciam*

Confessarius
rei. nendus
quia Medi-
cus & consi-
liarius.

d Eccl. 6, 6.

Et Exactor
paris.

Tract. c. 29.

Pœnitens sit
resignatus.

e Actu. 9, 6.
Serm. de
conuers. S.
Pauli,
Luca 18, 41

4. Reg. 5, 11

tibi. si enim verus ille est Dei Propheta, quemadmodum fuit Elifeus, anima tua bonum desiderans, dicet quod magis tibi expedit: etiamsi arduum sit, ac doleat. alioquin periculo te exponis, quemadmodum Naaman, remanendi in tua lepra, contemnendo Confessoris tui iudicium & prescriptum, utpote iudicio tuo contrarium. Quod si quando prudens Confessarius imbecillitatis tuae rationem habendam iudicet, ideoque iudicio tuo se accommodet, ac dicat: *quid vis ut faciam tibi?* quam vis poenitentiam tibi prescribi? qua via vis deduci? debes potius te humiliare, & de tua imbecillitate erubescere: & in feruore spiritus respondere ei: non veni huc, ut fiat quod ego volo; sed quod mihi prescribetur, & Deus de me voluerit, illud sequar & amplectar.

CAPVT IX.

HVMILITER ET SINE EXCVSATIONIBVS AUDIENDAM ESSE CONFESSARIJ CORREPTIONEM; & CUIVSQVE AMICI, QUI EX CHARITATE DE NOSTRIS DEFECTIBVS NOS ADMONET.



PRIMUM, in quo poenitens reuerentiam erga suum Confessarium & subiectionem ostendere debet, illud est: ut postquam sua peccata aperuerit, humiliter & in silentio reprehensiones & monita Confessarij audiat, iuxta consilium Ecclesiastici dicentis: *a audi tacens: & pro reuerentia & humilitate, quam in hoc ostendis, accedet tibi bona gratia.* Quae enim gratia melior ea, quae in hoc Sacramento communicatur, valdeq; excellenter obtinetur, cum Confessarij admonitio & correptio humiliter auditur? Sed quoniam haec reuerentia, animique demissio erga Confessarium non est soli confessioni adstricta; est vero maximi momenti ad Christianam perfectionem consequendam, de ea nunc in tota sua latitudine & extensione agemus.

PRÆMITTIMVS tamen hoc fundamentum: quoniam sacramentalis Confessio proprie non nisi eas culpas complectitur, quas poenitens agnoscit, & emendare desiderat: praeter quas tamen alias habet sibi ignotas, aut quas emendare non curat: necessariam fuisse *correctionem fraternam*: cuius finis est, proximū cum prudentia & charitate de his defectibus admonere, ut se emendet: iuxta admirandum illud Ecclesiastici consilium: *b corripe amicum, ne forte non intellexerit, se peccasse, & dicat: non feci; aut, si intellexerit, & fecerit: ne iterum addat facere. Corripe amicum: sapere enim sit commissio, & delinquitur.* Vera autem amicitia ostenditur: dum is corripitur ob male acta

a Eccl. 32. 9.

*Fraterna
correptio.*

b Eccl. 19. 13.